



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

19. An aliquando debitum, & obligatio cuiusdam inesse possit ad accusandum, vel denunciandum maximè in delictis, quae Reipublic: perniciem adferunt, aut in damnum proprium vergunt aut etiam tertij?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**



cipiēt, si sint à fisco annotata & occupata; aliàs si per 20. annos fiscus non petat, nunquam petet. Item si moriatur infra añum, licet bona fuerint annotata crimen morte extinguitur, & bona venient ad successores. Qualiter autem requirendus reus sit & quid juris in talibus, habetur ff. de re-quir: reis absent. L. 1. & 2. per totum. SED qualiter fiet annotatio bonorum? Respondeo scribet Notarius omnia bona, scilicet quot domus, quot prædia, quot vineæ sint, & quot jugera, sicut habetur ff. de censibus. L. forma. Ratio porrò cur absentes accusari non debeant, est: quod Judex ex Rei præsentia, vultu, aspectu, qualitate personæ, constantia, trepidatione, ex oculorum sermonisq; indiciis in capitalis criminis cognitionem devenire debeat. ut benè *Canisius lib: 4. titul: 19.* Dico capitalis, quia si pecuniariam solum pœnam crimen mereatur, poterit in absentem, si sæpiùs monitus per contumaciam absit procedi. L. absent. ff. de pœnis. de absolutis per sententiam, an & quando deferri possint dictum supra.

19. Suppositis verò quodammodo his,

quæ



quæ de hac materia attulimus: inquiren-  
 dum modò est circa debitum accusandi,  
 pro quo *DICO* certum esse de facto nun-  
 quam ferè privatum obligari determina-  
 te ad accusandum, ut benè *Angelus in L. 1.*  
*C. ut nemo invit. accusar. cogat.* cum malis  
 omnibus sufficienter occurri possit vel  
 per juridicam factam iudici aut fiscali de-  
 nuntiationem, vel per simplicem quere-  
 lam: ex quo cum Angelo censemus do-  
 ctrinam *S. Tho: 2. 2. q. 68. ar. 1.* docentis  
 aliquem ex præcepto teneri aliquando ac-  
 cusare, intelligendam esse, in casu, quo  
 damnum intentatum ex speciali ratione  
 procederet contra Rempub: quod aliâ  
 ratione, puta simplici denuntiatione pro-  
 pulsari non possit, quia quisque tenetur,  
 ut pars etiam cum detrimento proprio  
 consulere bono totius cum medio aliàs li-  
 cito. *DIXI* ratione speciali, neq; enim do-  
 ctrina nostra intelligenda est de peccatis,  
 quæ perniciofa sunt bono communi ex  
 ratione quadam generali, quia scilicet alii  
 possent accipere scâdalum ad eadem per-  
 petranda, nisi puniantur, ut sunt adulte-  
 rium, fornicatio; uti neq; conclusio in-



telligenda est de criminibus, quæ ratione frequentia inferunt commune damnum Reipub: ut quando quis sæpè furatur, occidit, hæc enim non ita immediatè & directè nocent Reipub: & faciliùs aliis viis corriguntur: sed procedunt dicta in criminibus exceptis, ut læsæ Majestatis, perduellionis, schismatis, expilationis ærarii publici, pravorum dogmatum, etiam si occulta prorsus sint, & in iudicio probari non possint, quia ut dicemus *tit. seq. n. 14.* accusatio tua in tali casu non tam tendit in punitionem delicti, quam ad præcavendum damnum Reipub: aut communitatis: cuius bonum præponderat, bono privato famæ delinquentis occulti.

20. ASSERIMUS præterea quemlibet teneri accusare, aut reum denunciare, quando, id est, necessarium ad impediendum grave malum tertio imminens, & sine magno damno accusator præstare potest; quia Lex naturæ, & charitatis tali casu urget: non tantùm secularem, sed etiam Clericum & Religiosum esto reus accusandus foret de capitali crimine, ut benè *Caitanus apud Sanch: lib. 6. consil. cap. 2.*